

ra, licet speculative, et disputative probabilitatem habeat.

ARTICULUS II.

*Quomodo conscientia erronea obliget?
Quid sit supponendum?*

I. Supponendum est tamquam certum, quod stante dictamine conscientie proponentis aliquid tamquam præceptum, non est licitum operari contra illud, et ex consequenti si sit præceptum affirmativum, obligari ad operandum juxta illud; hoc enim ex priori consequitur, quia si præceptum affirmativum instat, et hoc conscientia dicat, atque proponit, si non faceret hoc ipso operaretur contra conscientiam, quia sicut præceptum non facere quando instat, est frangere præceptum, seu agere contra illud (sumendo agere lato modo, prout etiam comprehendit ipsum omittere, quod est moraliter agere) ita erit contra ipsum dictamen conscientie, quod tale præceptum proponit, quia ipsum non facere contrariatur dictamini proponenti obligationem faciendi, ut instantem hic et nunc; nam hoc intelligendum est semper juxta naturam præcepti, quod si sit præceptum negativum id quod proponitur per dictamen conscientie, obligat semper, et pro semper: si vero sit præceptum affirmativum, obligat semper, sed non pro semper. Et ideo oportet, quod ut conscientia obliget quando proponit præceptum aliquod affirmativum, non solum dicat esse præceptum, sed etiam currere hic et nunc ejus obligationem.

II. Et loquimur de dictamine proponente aliquid tamquam præceptum, quia si non proponit illud ut præceptum, certum est quod non obligat, licet sit aliquid melius, et

perfectus, quod solum pertinet ad consilium, non ad præceptum. Obligatio enim non oritur ex consilio, quantumcumque sit melius, et perfectius, sed ex præcepto.

III. Sic ergo, quod dictamen conscientie tale præceptum proponentis obliget ad non operandum contra illud, omnino certum et indubitatum est, de quo videri potest S. Thomas in hac questione XIX, art. v et vi, et communiter doctores in II, dist. XXXIX. Deducitur clare ex D. Paulo ad Roman. XIV: *Beatus qui non judicat semetipsum in eo quod probat; qui autem discernit, si manducaverit damnatus est, quia non est ex fide, omne autem quod non est ex fide, peccatum est.* Ubi communiter ly fidem intelligunt patres et expositores ipsam conscientiam, quæ homini fidem facit, id est, testimonium perhibet agendorum: et licet S. Augustinus intelligat aliquando nomine fidei ipsam virtutem theologiam, ut patet in quarto, contra Julianum, cap. III, tamen non negat nostrum sensum, qui ex ipso contextu liquido videtur deduci, cum Apostolus apponat illam causalem: *Si manducaverit damnatus est, quia non est ex fide; nec enim fides theologica aptari potest tamquam causalis propria, quasi manducatio sit sufficiens causa damnationis, si non sit ex fide theologica; numquid enim qui non habentes fidem manducant, propter hoc damnabuntur? Loquitur ergo de fide, seu testificatione conscientie. Et idem sumitur ex illo primo ad Corinth. VIII: *Quidam cum conscientia idoli, quasi idolothyrum manducant, et conscientia eorum cum sit infirma, polluitur: et cap. X: Omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Eadem doctrina decernitur in capite: Per tuas, de simonia, et in capite: Inquisitioni, de sententia excommu-*

nicationis, ubi dicitur: « Quod agens contra judicium conscientie committit offensam, et ædificat ad gehennam. »

IV. Ratio autem manifesta est, quia conscientia nihil aliud est, quam illud dictamen, seu judicium per quod nobis innotescit, et applicatur, seu proponitur regula, et lex secundum quam tenemur hic et nunc operari, et quid in particulari agere debemus. Ergo operari contra tale judicium, et dictamen est operari contra regulam, et legem manifestatam, seu contra id quod tamquam regula, et obligatio operandi proponitur. Voluntas autem sequitur objectum non prout in se existit, sed prout sibi proponitur, et manifestatur. Ergo si manifestatur, et proponitur ut obligatio operandi, et contra illam agit, seu non sequitur illam, jam in sua voluntate contemnit legem, et obligationem, seu debitum suum; contemptus autem legis, et aversio a lege, seu nolle implere legem quando obligat, peccatum est. Quare conscientia vi hujus principii innititur, et obligat voluntatem ad sequendum se, quia videlicet tenetur aliquis nunquam legem contemnere, neque contra illam facere. Et quidquid sit an in re sit, vel non sit talis lex, tamen si proponitur ut lex, et ut obligatio, si quis agit contra illam, jam habet animum contemnendi legem: sicut si quis existimans aliquem esse patrem, occidit illum, reus est parricidii; et similiter qui percutit aliquem putans esse regem reus est majestatis. Ergo existimans aliquid esse legem, et avertens, seu operans contra illam, reus est legis.

V. Ex qua ratione, et fundamento sequitur tam intrinsece, et essentialiter esse peccatum agere contra conscientiam, ut sit impossibile etiam per potentiam Dei, quod oppositum contingat, nec in eo dis-

pensari possit. Nam licet in opinione positum sit, an possit Deus dispensare in præceptis, quæ sunt de jure naturali, et in decalogo continentur, præsertim in his, quæ dicuntur secundæ tabulæ, id est, quæ pertinent ad ea quæ sunt proximi, ut non occidere, non mœchari, etc. tamen in hoc quod est agere contra conscientiam nullus locus relinquatur, ut possit dari dispensatio, aut aliquo alio modo possit justificari: nam conscientia de qua loquimur in præsentem est dictamen, seu judicium proponens, et dictans hoc esse præceptum, seu debitum, et hoc obligare hic et nunc, si enim non sic proponitur non est conscientia de qua modo loquimur. Sed dispensatio divina, si daretur, tolleretur hanc obligationem, quia hoc efficit dispensatio, ut non currat obligatio legis hic et nunc; ergo tolleretur dictamen, seu judicium proponens talem obligationem currere, et dari hic et nunc, et consequenter non maneret dictamen illud conscientie, quia est dictamen oppositum; ergo jam non ageret contra illam, et sic talis casus omnino implicat, quia ex una parte dicitur quod agit contra conscientiam, et sic supponitur conscientiam, seu judicium illud stare; ex alia dicitur quod tollitur obligatio, vel materia obligationis per dispensationem divinam, quod est talem conscientiam non durare, nec manere. Vel si dicatur tolli a Deo obligationem, seu dispensari in re, sed non innotescere, nec cognosci ab isto hic et nunc, qui talem conscientiam habet, hoc nihil est, quia vel illa deobligatio, et dispensatio facta est respectu istius, qui contra conscientiam agere debet, vel non. Si non est facta respectu hujus ita ut ipse eam non cognoscat, est perinde ac si non esset, quia ipse non potest se gerere pro non dispensato, quamdiu sibi non

constat dispensationem dari; non intimata autem, nec cognita dispensatione, non potest isti esse licita operatio, quæ solum ratione dispensationis licita redditur, et sic peccabit si sic operetur contra conscientiam judicantem se non esse dispensatum. Si vero dispensatio facta est respectu hujus, ita quod est cognita ab eo; ergo jam habet iudicium, seu dictamen quod non est obligatus; ergo destruitur dictamen, seu iudicium conscientia, quo proponebat se esse obligatum; ergo nunquam potest stare quod agat contra tale dictamen obligativum, et tamen licite agat.

VI. Quod currit in quacumque conscientia sive recta, sive erronea, sive sit dispensabile præceptum quodcumque juris naturalis, sive non, quia hæc repugnantia non est ex natura præcepti, quod indispensable sit, sed ex implicatione quod iste habeat conscientiam, et dictamen, quod sit obligatus, et habeat iudicium, et notitiam quod non sit obligatus, quia dispensatus. Nec etiam ratione oblivionis, aut considerationis potest deobligari a conscientia sequenda; quia si datur conscientia, datur actuale iudicium, seu dictamen de obligatione faciendi hoc vel illud, ergo supponitur non esse inconsiderationem, aut oblivionem illius. Potest quidem aliquis ignorare quid agere debeat, vel obvisci, sive invincibiliter, sive culpabiliter, sed hoc non est agere contra conscientiam, sed contra scientiam, id est, contra scientiam, quæ deberet esse, non contra scientiam applicatam, et judicantem hic et nunc, quæ est conscientia. Potest etiam aliquis operari ex malitia, vel passione tollendo, vel destruendo conscientiam rectam, quam habet in particulari, remanente de principis ejus in communi quæ remururant, sed hoc non est agere licite

contra conscientiam, sed male; nec deobligari ab illa ex ignorantia, vel oblivione, sed potius operari contra illam, sed culpabiliter, qui non est casus præsens.

VII. Quod si inquiras, quale peccatum sit agere contra conscientiam et contra quam virtutem, an videlicet sit speciale peccatum, et contra specialem virtutem, et consequenter, an sint plura, vel unum peccatum; an mortale, vel veniale,

VIII. Respondetur quod cum conscientia non sit aliud quam dictamen proponens ipsam legem seu præceptum, et obligationem ejus, peccatum operandi contra conscientiam debet regulari per hoc quod est peccare contra legem ejusque obligationem. Nec enim agere contra hoc dictamen, seu iudicium est peccatum propter ipsum actum iudicii, seu cognitionis, et propositionis, sed propter ipsam rem propositam, et iudicatam, et hoc est lex, ejusque obligatio in particulari. Agere ergo contra conscientiam non est specialius peccatum, quam agere contra legem. Constat autem quod dupliciter potest quis agere contra legem. Uno modo ut est conditio generalis omnis peccati, quod est dictum, factum, vel concupitum contra legem: alio modo in quantum fit speciale objectum inobedientia, vel contemptus legis, ut si quis ex proposito velit operari contra legem, quia tenuit subjici ejus imperio.

IX. Primo modo agere contra legem, seu conscientiam non est speciale peccatum distinctam malitiam habens ab eo, quod invenitur in ipsa materia præcepta, ut agere contra legem in materia temperantia est species intemperantia, agere in materia justitia est injustitia, etc. nec sunt duo peccata agere contra conscientiam, et contra legem in tali materia, quia eadem lex est in se

considerata, et per dictamen proposita, nec est diversa regula, vel obligatio, si quidem lex illa non obligat, nec regulat nisi ut proposita, sicut nec objectum quodlibet movet nisi ut propositum; propositio autem et objectum non sunt duo objecta, nec duo motiva, sed unum est objectum, et propositio est conditio ejus. Cum ergo dictamen, seu iudicium quod est conscientia sit propositio ipsa objecti, atque adeo conditio illius, sequitur manifeste, quod non sit aliud peccatum contra dictamen, et contra materiam, seu objectum propositum per illud, sicut in actibus bonis non habetur alia bonitas ex objecto, alia ex propositione, et conscientia objecti, sed una bonitas est ex objecto proposito.

X. Secundo vero modo est speciale peccatum agere contra legem, et contra conscientiam, quatenus ibi relucet specialis contemptus legis, seu peccatum speciale inobedientia; sed hoc non est distinctum peccatum respectu conscientia, et respectu legis, quæ per eam proponitur, quia non ipsummet iudicium quatenus actus quidam est, sed lex in ipso iudicio, seu dictamine proposita contemnitur. Et tunc est speciale peccatum contra specialem virtutem, scilicet obedientia, vel justitia legalis, quæ nos legi subjici, et obedire inclinatur. Quod si aliquis velit in omnibus contra conscientiam agere, illud peccatum erit ejusdem speciei cum illo, quo aliquis vult agere vitiose absolute in omni genere vitii, de quo egimus supra tractando in qua specie peccati sit illa voluntas qua quis vult absolute, et in omnibus agere vitiose, et in qua specie virtutis sit illa voluntas volendi absolute vivere studiose: idem enim dicendum est de voluntate agendi in omnibus secundum conscientiam, vel operandi contra illam, quia conscientia, ut diximus,

non addit specialem legem, sed est iudicium, seu dictamen de obligatione legis, quod pertinet ad applicationem ipsius legis.

XI. Similiter, quod sit mortale, vel veniale peccatum agere contra conscientiam dependet ex gravitate, vel levitate materia, vel legis obligantis. Nam conscientia cum sit dictamen, et iudicium applicativum legis, seu obligationis, quæ hic et nunc currit ad operandum, regulanda est gravitas operationis contra conscientiam penes materiam, et obligationem repræsentat per tale iudicium, ita quod si repræsentatur aliquid ut graviter obligans, et fit contra illud erit mortale, si ut leviter obligans erit veniale, etiam si fiat contra talem conscientiam, sicut si fiat contra legem solum oportet advertere quod hoc dicimus juxta leges et formam conscientia, scilicet quod quando conscientia non errat, sed ita est a parte rei obligatio, sicut conscientia dictat, currit doctrina proposita, quod est mortale, vel veniale juxta gravitatem, vel levitatem materia, et obligationis, si autem conscientia erret, vel dubitet an sit mortale, vel veniale, erit iudicandum juxta regulas conscientia erronea, vel dubia, videlicet quod potest esse mortale peccatum etiam circa levem materiam si conscientia erronee judicet esse mortale; non tamen e converso erit veniale, id quod alias in se mortale, nisi adsit ignorantia invincibilis in conscientia sic errante. Si autem conscientia sit dubia de mortali, vel veniali gravitate, semper erit mortale propter conscientiam dubiam, qui enim operatur cum conscientia dubia, peccat propter periculum cui se exponit, et si est dubia de mortali gravitate operari cum tali dubio erit exponere se periculo peccati mortalis, et sic erit mortale.

CONSCIENTIA ERRONEA IN QUA VI
OBLIGAT?

XII. Ex dictis colligitur primo, quod agere contra conscientiam etiam errantem, id est, proponentem aliquid ut præceptum, et obligatorium hic et nunc, sit peccatum. Hæc sententia communis est inter auctores scholasticos in II, dist. xxxix, ibi D. Bonaventura Richardus, Durandus Gabriel, Gregorius Major, et alii. D. Thomas in hac quæstione XIX, art. v, et ibi omnes expositores ejus, Cajetanus, Conradus, Medina, Lorca, disp. xxxvii; Vazquez disp. lxx et lxx; Valentia disp. II, q. xiv, puncto IV; Montesinos disp. xxix, q. III; Martinez, et alii: opposita autem attribuitur Guillelmo Parisiensi tractatu de vitiis et virtutibus, et glossæ, capite omnes xxviii, quæst. I.

XIII. Sumitur tamen fundamentum nostræ sententiæ tum ex Scriptura, tum ex ratione. Ex Scriptura desumitur in primis ex illa Pauli ad Rom. xiv: *Beatus qui non discernit semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit si manducaverit damnatus est, quia non est ex fide. Omne autem quod non est ex fide peccatum est*; ubi Paulus loquitur de manducatione ciborum, qui in se mali non erant, sed aliqui existimabant malum esse tale, vel talem cibum manducare, quia discernebant inter cibum communem Judæis, et gentibus, atque illum qui proprius erat Judæorum, et priorem manducare judicabant esse malum, secundum vero non. Quod ex ipso textu deducitur, quia præmiserat Apostolus: *Hoc judicare magis ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. Scio et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est.* Erronea ergo con-

scientia illi ducebantur, quia cum ex permissione Domini nihil esset commune in cibis, illi tamen commune existimabant. Et tamen dicit Apostolus, quod qui sic discernunt, id est, judicant aliquid ut non commune, si manducaverit damnatus est, quia non ex fide, id est, non ex fidei conscientia; ergo operatio contra conscientiam erroneam peccatum est. Quam expositionem communiter approbant patres super eundem locum, et colligitur ex citato capite omnes xxviii, q. I, et ex capite finali, de præscriptionibus, et ex capite litteras, de restitutione spoliatorum. Et Augustinus qui intelligit illum locum de fide supernaturali, quasi omne quod procedit ex non fide, seu infidelitate peccatum sit, tamen negat hanc secundam expositionem.

XIV. Denique idem confirmari solet ex illo ad Galatas v: *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* Constat autem, quod lex illa non obligabat in re, neque circumcisio, et tamen si quis per conscientiam erroneam se circumcideret, et ad id se obligatum judicaret, dicit Paulus teneri ad totam legem circumcisionis; ergo conscientia erronea ligat.

XV. Nec oportet aliud fundamentum tradere pro ista veritate, quam id quod traditum est loquendo de conscientia vera. Hæc enim vim ligandi habet, quatenus per dictamen et judicium proponit legem, et obligationem ejus hic et nunc. Ergo licet in re non sit talis lex, aut obligatio, si tamen voluntati non constet, et alias proponitur ut obligans hic et nunc, repulsio illius est perinde ac repellere legem in re existentem; animus enim qui contra dictamen de obligatione legis operatur, existimando et judicando quod in re obligat, licet in re non

ita sit, jam in se legi veræ obsistit, et de se legem veram relinquit, quia judicando esse veram, illi repugnat, formatque tale dictamen, quod etiam si vero obliget lex, non vult juxta illam operari. Ergo operatio contra tale dictamen, et judicium, peccatum est, quia in corde suo veræ legi resistit, dum existimat esse veram, et non facit, ac per consequens operatio inde descendens, peccatum est, utpote ex corde a lege averso descendens.

XVI. Nec obstat, quod existimatio, seu apprehensio solum est conditio requisita ad operandum, non ratio ipsa formalis, hæc enim ex ipsa bonitate, vel malitia reali desumitur. Ergo non existente objecto malo in re, apprehensio, seu judicium errans non potest malitiam illi dare, neque constituere objectum prævum, quia hoc pertinet ad rationem formalem, quam non potest supplere sola conditio. Remota autem ratione formali non potest specificatio subsistere, id est, ratio mali, vel boni, quæ ad specificationem spectat.

XVII. Respondetur tamen quod apprehensio, seu judicium consideratum formaliter, et ex parte actus est solum conditio, apprehensio autem, seu judicium objectivum, id est, objectum quod in ipso judicio repræsentatur, et proponitur est ratio formalis specificans, sive in re ita existat sive non; nec enim specificatio actuum regulatur penes existentiam rei, sed penes objectum repræsentatum, ibi enim est proxima regula voluntatis. Quare etiam non existente objecto malo in re, si tamen repræsentatur, et proponitur aliquid ut malum, ita quod non solum formalis apprehensio, sed objectiva, seu res proposita per judicium mala sit, id est, repræsentetur ut mala, sufficientem rationem formalem habet voluntas ut actus ejus

malus sit; nec enim specificativum voluntatis est objectum ipsum propositum prout in re existens, neque verum est ejus objectum. Si ergo bonum apparens potest esse objectum voluntatis, utique non solum bonum existens, et a parte rei positum, sed etiam non existens, sed repræsentatum, et objectum specificativum est. Et sic ratio formalis distinguitur a conditione in objecto voluntatis, quia conditio est apprehensio ipsa formalis, res autem apprehensa, seu objectum est ratio formalis, et specificativa, sive sit apparens, sive vera, existens vel non existens. Unde bene potest conscientia erronea constituere peccatum, quia non solum importat ex parte apprehensionis conditionem, sed etiam ex parte rei apprehensivæ rationem formalem, licet illud apprehensum sit falsum, et in re non existens.

XVIII. Quod vero aliqui objiciunt, quod si sit peccatum agere contra conscientiam, sequitur quod possit esse peccatum diligere Deum, aut credere in Deum, quia potest aliquis habere conscientiam erroneam quod dilectio Dei sit peccatum. Hoc inquam non obstat, quia in hoc est manifesta implicatio, quod aliquis judicium esse peccatum diligere Deum, vel credere, aut sperare, etc. quia dicendo quod est peccatum, hoc ipso dicit quod est contra Deum, peccatum enim contra Deum est. Diligere autem Deum, vel volere, credere ipsi non potest apprehendi quod sit contra Deum, quomodo enim potest judicari quod amor alicujus sit contra ipsum, cum sit inclinatio ad ipsum? In tali ergo conscientia erronea est implicatio manifesta, et ideo non admittitur a nobis. Bene quidem esse potest, quod aliquis ex apprehensione erronea judicet Deum non esse amandum, sed odio habendum, ut faciunt

damnati, quia apprehendunt Deum, ut punientem, non ut beneficientem. Cæterum in hoc ipsi non formant conscientiam, quod sit peccatum amare Deum, aut si non peccatum, odium illius, sed potius contra suam conscientiam agunt, et peccatum illud volunt committere, odio Deum habendo.

XIX. Secundo colligitur, conscientiam errantem, et proponentem aliquid ut præceptum etiam obligare. Et loquitur juxta naturam præcepti, quod si proponat præceptum negativum obligat pro semper, si affirmativum, pro suo tempore; quod si proponat hic et nunc instare illud præceptum, licet falso id iudicet, tamen obligabit. Hoc ex dictis manifeste deducitur, quamvis non desint, qui distinguant inter ligare et obligare. Et dicunt, quod ligari est impediri ne possit procedere alia via; obligari vero est teneri ad hoc faciendum. Qui ergo habet conscientia merroneam vincibilem ligatur, quia non potest procedere stante illa, sine peccato, tenetur enim illam deponere, et sic si faciat juxta illam peccat, quia error ille non excusat, et si non faciat peccat, qui contra conscientiam facit: non tamen proprie obligatur, quia tenetur id facere, sed conscientiam illam deponere. Quam distinctionem tradit Durandus in II, dist. xxxix, q. v, n. vii. Nec disciplicet patri Valentia, ubi supra punct. iv, et frequenter alii auctores utuntur verbi ligandi, cum loquuntur de conscientia erronea, imo et D. Thomas in hac quæstione XIX, art. vi, et I p. q. LXXIX, art. XIII. Addit autem pater. Vazquez hic disp. LX, cap. II, quod conscientia errans non obligat positive, sed negative, id est, obligat ut non faciamus contra ipsam, hoc enim semper est peccatum, non tamen obligat ut faciamus secundum ipsam, quia ad id quod

in re est peccatum, nemo potest obligari.

XX. Cæterum sine ulla hæsitacione dicendum est conscientiam errantem etiam vincibilem non solum ligare, sed etiam obligare, nec solum obligare negative, scilicet ut non faciamus contra ipsam, sed etiam positive ut operemur secundum ipsam, quando conscientia erronea dictat aliquod præceptum affirmativum, cujus omissio est contra ipsam conscientiam. Et ita loquitur S. Thomas in hac quæstione XIX, art. v, in principio, dum dicit: « Idem esse quod conscientia obliget, et quod sit peccatum discordare ab ipsa. » Et sic communiter auctores loquuntur. Et manifeste constat, quia obligari est teneri ad aliquid faciendum, vel omittendum, sed tenetur aliquis non operari contra conscientiam erroneam, ut ostensum est; ergo ad id obligatur.

XXI. Et confirmatur hoc, quia non solum ligamur præcepto, vel lege, sed etiam obligamur, et tenemur illi conformari, et secundum illam operari, si quidem est regula præcipiens, ergo et obligans; sed conscientia proponit legem et obligationem ejus ut hic et nunc faciendam, ergo non solum ligat, sed et obligat, si quidem conscientia non ligat nisi in quantum proponit legem, et obligationem ejus, et est iudicium, seu dictamen de obligatione præcepti hic et nunc; si ergo proponit præceptum stricte obligans, non solum ligat, sed et obligat. Nec potest intelligi quod liget, et non obliget, quia in vi alicujus præcepti ligat, ratione cujus non potest quis sine peccato procedere ad alteram partem, sed hoc ipso obligat, quia vis præcepti est vis obligativa, et quando oppositum est peccatum, obligamur, seu tenemur evitare illud; ergo idem est in præsentem ligare conscientiam, et obligare.

XXII. Contra Vazquez autem probatur conscientiam erroneam non solum obligare negative, sed etiam positive, etiam loquendo de conscientia vincibili; quando enim est invincibilis non negat Vazquez, quod secundum illam faciendum est, quia conscientia invincibilis non potest deponi, nec tenetur aliquis ad deponendum eam, quia jam facta est sufficiens diligentia, alias non esset invincibilis. Et ratio est manifesta, quia conscientia erronea potest obligare ad non omittendum; ergo potest obligare ad operandum juxta ipsam. Consequentia patet, quia omissio non potest vitari nisi per operationem, seu commissionem, cum omissio sit contra præceptum affirmativum, quod omissione violatur, et operatione impletur; ergo si conscientia obligare potest ad non omittendum, obligare debet ad implendum præceptum illud affirmativum, impletio autem præcepti affirmativi, est facere, seu operari id quod præcipit, et hoc positive operari secundum conscientiam, id est, secundum legem, seu præceptum a conscientia propositum, et non solum negative se habere, id est, non facere contra illam. Antecedens vero manifestum est, quando conscientia proponit, et iudicat aliquod præceptum affirmativum instare, verbi gratia, teneri hodie ad audiendum sacrum, teneri mentiri ad salvandam vitam, et alia similia; tunc enim obligat ad non omittendum; quod patet, quia ad idem obligat illa conscientia ad quod obligat lex ipsa, seu præceptum affirmativum si in re daretur; præceptum autem affirmativum positivum in re obligat ad non omittendum; ergo propositum per conscientiam erroneam etiam obligat ad non omittendum.

XXIII. Et confirmatur, quia obligat ad non faciendum contra legem,

seu conscientiam. At si omitteret, faceret contra legem; ergo tenetur non omittere.

Dices: Tenetur deponere illam conscientiam, quia est vincibilis; ergo non tenetur operari juxta illam, neque contra illam, sed datur medium, scilicet deponere illam.

XXIV. Sed contra, quia bene stat quod teneatur aliquis deponere conscientiam, et tamen illa manente, et non deposita, teneatur non agere contra illam, ut fatetur ipse Vazquez, quia contra conscientiam erroneam agere non potest, et docet D. Thomas quæst. XVII de veritate, art. IV ad quartum; ergo etiam si teneatur deponere conscientiam erroneam, poterit obligari ad faciendum juxta illam, quamdiu non deponitur. Patet consequentia, quia obligatio ad deponendam conscientiam non tollit quod detur etiam obligatio ad non operandum contra eandem conscientiam quamdiu non deponitur; ergo neque tollet obligationem sequendi illam, et operandi secundum illam quamdiu non deponitur, si præceptum quod talis conscientia proponit sit affirmativum, quod obligat ad non omittendum. Nec enim obligatio ad deponendum conscientiam tollit hanc obligationem operandi secundum illam, sicut nec tollit obligationem non operandi contra illam.

XXV. Et ratio hujus ea est, quia aliunde nascitur obligatio ad deponendum conscientiam, aliunde obligatio operandi secundum illam. Nam obligatio ad deponendum conscientiam non nascitur ex ipsa conscientia, sed ex altiori principio, quia qui nondum fecit sufficientem diligentiam, tenetur facere illam, et vincere ignorantiam vincibilem, alias non prudenter procedet; tenetur autem quis prudenter, et non temerarie, aut omissive procedere in